



venerunt etiam aliqui domini de Jerusalem, duo scilicet Calini, major et minor Trutzelmanni, et venerabilis Pater Gwardianus montis Syon cum duobus fratribus, et cum eis aliqui mercatores christiani de cinctura.

De egressu peregrinorum ex galêa et introitu eorum in terram sanctam.

Evagatio diu desideranti animo exspectata jam jam instat. Cum enim patroni cum praefectis locuti fuissent et eis placuisset, ut nos de galêa in terram ducerent, navigavit ad nos venerabilis Pater Paulus, provisor ecclesiae latinae in Oriente et Gwardianus montis Syon cum suis fratribus, et cum Calino majori, Sarraceno, qui erat magister hospitalis in Jerusalem, et conserunt cum patrono nostro puppi. Convocatis autem omnibus nobis, incepit Pater Gardianus, vir maturus, barbatus et doctus, latino sermone nos civiliter et ornate salutare, et beneventos esse dicere, et hortabatur nos ad devotionem, et ad patientiam et ad exemplaritatem, et promisit quod in Rama regulas regiminis nostri per terram sanctam inter Sarracenos vellet nobis tradere. Sic etiam dominus Calinus Sarracenus, Trutzschelmannus noster, nos honorifice salutavit, et prohibuit, ne quis arma, gladium aut arcum secum de navi eportaret, sed inermes sicut peregrini procederent. Et his dictis Pater Gardianus cum suis fratribus et Calino descendit in barca[m] dicens nobis, ut citius nos expediremus et sequeremur. Erat autem prandii hora, et vocatis peregrinis ad prandium comedimus et bibimus cum festinantia, ut citius in terram sanctam veniremus. Sub prandium venerunt omnes galêotae officiales unus post alium, et de peregrino ad peregrinum cum argenteis phialis transierunt, petentes curtusias, quas nos bibales nominamus. Et improba valde erat eorum postulatio, et quicumque eis denegavit donum, hunc nolebant de galêa in barca ad terram ducere. Et fuit magna inquietudo in navi, propter inverecundam et improbam illorum petitionem. Peracto illo inquieto prandio et solutis curtusiis disposuimus nos ad exitum, et accepimus duo vascula vini et saccis immisimus, ne Sarraceni viderent, quia non patiuntur vinum manifeste circumduci.

208

206

212

202

217

197

257

157

307

107

Ende

Anfang